

B. N. C.  
FIRENZE

1037

32



1037.32

XXXVII<sup>a</sup>  
FABR.  
1669





A2

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
**RELIGIONIS**

OB TEMPORALE COMMODVM  
MVTATIONE

DEO IUVANTE

IN ACADEMIA ALTDORFINA

PRAESIDE

**JOANNE FABRICIO**

S. THEOL. PROF. P.

PVBLCO EXAMINI SVBJECTA

A

**MATTHIA KLÆCKELIO,**  
STIRIA-AVSTRIO.



---

TYPIB HENRICI MEYERI, ACAD. TYPOGR.  
A. C. M D C LXXXIIX.



XXXIV.

FABR

DESSERTATIO THEOLOGICA

DE

RELIGIONIS

ORIGINE ET PROGRESSU

MUTATIONE

DEO JUVANTE

IN ACADEMIA ALTORINA

PRÆSIDE

JOHANNI FABRICIO

THEOLOGO

ALTORINO

ET

MATTHIAS SCHEFFER

ALTORINO

1037 32

IN NOMINE DEI OPT. MAX.

QVÆSTIO.

*An quis christianorum à religione vere orthodoxa, quam ipse pro tali agnoscit, ad aliam, & quidem heterodoxam, commodi temporalis causa, illaesa conscientia accedere possit?*

CAPVT I.

*Statum controversiæ proponens.*

I.



Non quæritur de cuiusvis religionis homine, sed de christiano, qui sub Christi vexillo militat, & doctrinam fidemque christianam profitetur, & religioni, non quæ sic dicitur ac venditur tantum, sed quæ reapse & κατ' ἀλήθειαν orthodoxa est, & omnia creditu & factu ad salutem necessaria continet, est additus.

II. Non quæritur, an quis agnitis suæ religionis erroribus, ad veram & puram religionem transire possit: hoc enim non modo licitum est, verum etiam necessarium: sed, an, qui de veritate suæ religionis plane, nec per errorem persuasus est, nihilo tamen minus eam deserere, & mutare possit cum illa, quam certo scit esse heterodoxam & periculofam.





1037.32

XXVII  
FABR.  
1734





A2

DISSERTATIO THEOLOGICA  
 DE  
**RELIGIONIS**  
 OB TEMPORALE COMMODVM  
 MUTATIONE  
 DEO IUVANTE  
 IN ACADEMIA ALTDORFINA  
 PRAESIDE  
**JOANNE FABRICIO**  
 S. THEOL. PROF. P.  
 PVBLICO EXAMINI SVBJECTA  
 A  
**MATTHIA KLÆCKELIO,**  
 STIRIA-AVSTRIO.




---

TYPIS HENRICI MEYERI, ACAD. TYPOGR.  
 A. C. M D G LXXXIIX.



XXXIV.

FABR

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

REIIGIONIS

DE THEOLOGICIS COMMUNIBUS

MUTATIONE

DEO IVAN TE

IN ACADEMIA ALTOBONNENSIS

PRÆSIDE

IOHANNES FABRICIUS

S. THEOL. MAG. P.

PROFESSOR

MATTHIAS FERRELLIUS

PROFESSOR

1037 32

IN NOMINE DEI OPT. MAX.

QVAESTIO.

*An quis christianorum à religione vere orthodoxa, quam ipse pro tali agnoscit, ad aliam, & quidem heterodoxam, commodi temporalis causa, illasa conscientia accedere possit?*

CAPVT I.

*Statum controversiæ proponens.*

I.



Non quæritur de cuiusvis religionis homine, sed de christiano, qui sub Christi vexillo militat, & doctrinam fidemque christianam profitetur, & religioni, non quæ sic dicitur ac venditur tantum, sed quæ reapse & κατ' ἀλήθειαν orthodoxa est, & omnia creuitu & factu ad salutem necessaria continet, est additus.

II. Non quæritur, an quis agnitis suæ religionis erroribus, ad veram & puram religionem transire possit: hoc enim non modo licitum est, verum etiam necessarium: sed, an, qui de veritate suæ religionis plane, nec per errorem persuasus est, nihilo tamen minus eam deserere, & mutare possit cum illa, quam certo scit esse heterodoxam & periculofam.

III. Non quæritur de honesto ac pio mutandæ religionis scopo, quo quis, factis impetrandæ causa, veram falsæ præfert religionem, sed de utili, nec vere, sed apparenter utili, quum quis solius commodi temporalis gratia, ut nempe suaviorem in hoc mundo vitam, lautioresque fortunam, & vel honores, vel divitias, aut pariter honores ac divitiâs (o quantum his in rebus inane!) nanciscatur, religionem suam cum alia commutat.

## CAPVT II.

### *Responsionem continens.*

POSITO sic statu controversiæ, respondemus negando, dicimusque, non posse ullum christianum à religione, quam rectè pro orthodoxa agnoscit, ad aliam, eamque heterodoxam, commodi temporalis ergo, citra conscientiæ suæ læsionem accedere:

I. Quia contra conscientiam nihil quidquam est faciendum. Jam autem talis homo, uti supponimus, in conscientia sua convictus est, eam religionem, quam deserit, veram, alteram vero, quam recipit, falsam esse. Quando igitur nihilominus ad hanc sese applicat, directe agit contra conscientiam, atque aded elata quasi manu peccat.

II. Quia talis homo peccat in specie contra Deum, proximum, & se ipsum. Contra Deum; dum veram deserens religionem, eundem deserit, atque fœdus in baptismo cum eo initum procaciter frangit. Inprimis autem violat præceptum ejus primum, quo prohibetur, *ne nobis sit illud deorum alienorum ante faciem Ipsius*. Exod. XX. 3. hoc est, ne amorem & fiduciam nostram collocemus in alio, quam in vero ac vivo Deo, Creatore cœli & terræ. At quid aliud facit ejusmodi vertumnus, quam ut fiduciam & amorem suum, quem collocare debebat in summo illo bono, ac largitore omnium beneficiorum, ponat in idolo

com-



commodi temporalis, atq; aded fiat idololatra? illud enim ipsi est instar dei, sicut Paulus ait de omnibus illis, qui nihil aliud spectant, quam hujus vitæ commoda, id est, ut pace, ocio, & rebus omnibus abundantes, cum magna apud homines existimatione vivant, quod eorum deus sit venter. ad Phil. III. 19. Contra proximum; dum ei turpissima inconstantia isthac scandalum præbet ad similem lapsum. Contra se ipsum denique; dum se reum facit poenarum & temporalium, & æternarum. Ita enim docet Paulus, electum illud Christi organum; ita Christus, qui ipsa est veritas. Audiamus primo apostolum, deinde, qui eum misit, Dominum. *Qui volunt ditescere, ait Paulus, incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnosas, qua demergunt homines in exitium & perniciem. Siquidem radix omnium malorum est amor pecunia: quare quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & se ipsos undiquaque transfixerunt doloribus multis.* 1. ad Tim. VI. 9. 10. Et eundem Timotheum hortatur, ut *militet bonam militiam, retinens fidem, & bonam conscientiam.* atq; subjungit: *qua (scilicet bona conscientia) expulsa, nonnulli naufragium fidei fecerunt.* Cap. I. 18. 19. *Ne errate. neq; scortatores, neq; idololatra (quales illos terræ filios live τὸς τῆς γῆς ἰδωλάτρας esse demonstravimus) neq; mæchri, neq; molles, neq; qui concumbunt cum masculis, neq; fures, neq; avari, neq; ebriosi, neq; conviviatores, neq; rapaces regni Dei hereditatem possidebunt.* 1. ad Corinth. VI. 9. 10. *Eorum, quorum deus est venter, quique terrestria curant, gloria, quam sectantur in hoc mundo, est ad ignominiam ipsorum, & finis, seu merces ipsorum, exitium.* ad Philipp. III. 19. Et Christus ait: *Qui non accipit crucem suam, ac pone se sequitur, non est meus discipulus. Qui invenerit (voluerit servare) animam, seu vitam temporalem suam, perdet eam, reatum mortis æternæ contrahendo: & qui perdidit animam suam mea causa, & evangelii, inveniet seu servabit eam, id est, æternam vitam & salutem.*

tem consequetur. *Quid enim prodest cuiquam, si totum mundum lucratus fuerit, anima verò sua mulctetur? aut quam dabit quispiam compensationem animæ suæ? futurum est enim, ut filius hominis veniat cum gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique, secundum facta ipsius. Quisquis igitur agnoscat me coram hominibus, agnoscam & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis. Quisquis autem abnegaverit me, seu quemcumque puduerit mei ac sermonum meorum, abnegabo eum & ego coram Patre meo, qui est in cælis, seu Filium etiam hominis pudebit ejus, quando venerit in gloria Patris sui, cum Angelis illis sanctis.* Matth. X. & XVI. Marc. VIII. 35. 38.

III. Quia talis mutatio repugnat iudicio & praxi veteris ecclesiæ christianæ. Notum est enim ex epist. I. ad Tim. I. 20. Hymenæum & Alexandrum, eo quod *naufragium fidei fecissent*, hoc est, doctrinam evangelicam, de qua tamen melius erant informati, abnegassent (quamvis in specie dici non possit, quam ob causam, sive quo scopo à fide christiana defecerint) ab apostolo, magno illo Dei zelote, *satanæ traditos*, sive ex ecclesia ejectos, & excommunicatos, atque ita pro mancipiis diaboli, regni que Christi extorribus, quamdiu non resipiscerent, declaratos, *satanæque potestatem*, eorum carnem seu corpora peculiari-ter affligendi, pro ea, qua pollebat Apostolus, auctoritate, datam esse. Notum quoque è Cæcilli Cypriani epist. LII. & lib. de Lapsis, *traditores*, qui sacros codices tradiderant ethnicis, & *libellaticos*, qui ære redemerant ab avaris præfectis seu præsidibus libellos, quasi sacrificassent, *thurificatosq; & sacrificatos*, qui revera idolis thus adoleverant, & sacrificaverant, sive id sponte fecissent, sive metu suppliciorum perculsi, pro *lapsis*, hoc est, magnis peccatoribus habitos, nec nisi post largam & plenam poenitentiam in ecclesiæ gremium receptos. Jam si tales etiam homines, qui persecutionis impetu ita prostrati sunt, atque, ne durissimi iudicis

dicis recrudescente sævitia jam fatigatum, jam lassum corpus, nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, nunc gladius percuteret, nunc crux erigeret, nunc bestię laniarent, fidem Christi non sunt professi, eamve abnegarunt, conscientiam suam insigniter violasse, maximumque reliquis christianis scandalum dedisse iudicati sunt, qua conscientia, quæso, aliam quis amplectetur religionem, eamque heterodoxam, nullis adactus cruciamentis, nullis suppliciis, sed sola spe lautioris ætus, aut potius deceptus?

### CAPVT III.

*Objectiones duas proferens, ac diluens.*

**Q**UAMVIS verò hæc ita se habeant, & sole clariora sint, nihilo minus tamen reperias, qui, ad palliandam sententiam contrariam, unum atque alterum obijciant, & soli quod ajunt, nebulas obducere neutiquam vereantur. Ac primum quidem telum depromunt ex Genes. XXVIII. 20. 21. & 22. ubi apud Vulgatum sic legitur: *Vovit etiam (Jacob) votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum: reversusque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum: Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque, qua dederis mihi, decimas offeram tibi.* Ita enim exinde argumentantur: Qui patriarcham Jacobum imitatur, is non facit malè. Jacobus enim fuit vir sanctus, pius, & Deo inprimis charus. Jam verò qui ad aliam christianam religionem, commodi temporalis causa, transeunt, patriarcham Jacobum imitantur: nam & ille sub conditione hac, si Deus futurus esset secum, & custoditurus se in via, & daturus panem ac vesti-

vestitum, seque reduēturus ad domum patris sui, promissit se Deum culturum. Etenim expressè ait: *Si fuerit Deus mecum &c. erit mihi Dominus in Deum.* Ergo qui ad aliam christianam religionem, commodi temporalis causa, transeunt, non faciunt malè, adeoq; conscientiam suam minimè lædunt aut violant.

Respondemus: Quamvis Major propositio ita se habeat, ut non planè nihil in ea desiderari possit, tamen, novæ disputationis pelagus evitantes, & brevitati studentes, eam hac vice missam facimus. Quod verò Minorem attinet, ejusque probationem, varia ibi sunt ponderanda. Supponitur enim, verbis hisce, *Et erit mihi Dominus in DEVM*, sive pro DEO, Jacobum 1. sese obligare. 2. ad cultum DEI specialem, & majorem, quàm hæctenus præstiterit, nempe, ut statim in seq. vers. exprimitur, ad facelli exstructionem, & largitionem decimarum. 3. idque intuitu mercedis temporalis. Jam, ut ὑπερον ἄλλο πρὸν progrediamur, unde, quæso, probabitur intuitus mercedis, quo Jacobus votum fecerit? an ex particula *ὅτι* si? ac si diceret: si me custodiveris in via, & com meatu instruxeris, reducemque feceris, peculiariter colam te ac venerabor, ut Dominum & Servatorem meum, domumque in tui honorem erigam, & decimas ad cultum sacrum præbebo: Sin; nihil istorum quidquam facturus sum. Quis enim aded amentem, aded impium credat cordatum illum piumq; patriarcham? ecquis nescit, particulam *ὅτι* si non semper esse strictè conditionalem, sed sæpe ut notam temporis indeterminati usurpari, atque in latina lingua efferri per voces *quando*, *quum* & similes? ut Genes. XXXVIII. 9. Exod. XX. 25. Amos VII. 2. Quæ vocis acceptio etiam heic militare potest, absq; ulla sensus detorsione, & absurditate, ita ut dicamus, eam non finem aut mercedem significare, sed possibilitatem & modum, & uti *Chytraeus* annotat, hanc vim habere:

Si DEVS vitam mihi prorogabit, & me proteget, ac defendet, tunc congregabo in hoc loco ecclesiam ad sacrificium & concionem, sicut dicitur: Non mortui laudabunt te, Domine. Sin verò non dederit mihi panem &c. paratus sum ad ferendam inopiam, exitia, & alias difficultates, sicut David II. Sam. XV. inquit: Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me. Si autem dixerit mihi, non places, præsto sum, faciat, quod bonum videtur ipsi. Quamquam non negamus, homines pios ac fideles, etiam respectu temporalis felicitatis, cujus promissione toties in Scriptura utriusque foederis, ad obedientiam Deo præstandam excitamur atque allicimur, non quidem primario & adæquate (qua ratione Deus ut Deus colendus est) tamen secundo & minus adæquate, nec non cum reservatione crucis & calamitatum, à paterna summi Numinis manu in humili patientia suscipiendarum, Deum colere posse ac debere. Vnde autem porro probabitur, phrasin hanc, יהוה יהוה לי לאלהים, erit mihi Dominus in Deum, sive pro Deo, uspiam adhiberi pro certo aliquo externo cultu? Sanè nullus proferri potest locus Scripturæ, in quo ad eum modum sumatur. Duo verò significat phrasin illa, nimirum 1. cultum generalem à nobis Deo præstandum, ut idem sit, ac si diceretur: Dominum pro vero Deo agnoscam, adorabo & colam, in eoque spem ac fiduciam unice reponam. 2. Favorem & gratiam Dei erga nos, hoc sensu: Dominus mihi singulariter favebit, eritque propitius, & auxilio, gratia, atque amore me prosequetur suo. Utraque hæc significatio occurrit Genes. XVII. ubi Deus Opt. Max. Abrahamo ejusque posteris terræ Canaanis possessionem largissimè promittit: & prior quidem vers. 7. posterior autem vers. 8. juxta ipsius Cornelii Jansenii, Episcopi Iprensis, expositionem. Sic enim is ad verba versiculi septimi, ut sim Deus tuus & seminis tui post te, sive ut sim tibi in Deum & semini tuo post te, commentatur: id est, ut

me solum habeat: & colat is Deum, obediendo scilicet voluntati & mandatis meis: & versiculum octavum, ubi Deus pergit dicere, eroq; Deus eorum, vel, eroq; is in Deum, hoc modo illustrat: id est, vicissim providentia, cura & favore ostendam me esse Deum eorum; & eos esse populum meum. Cornelius à Lapide quoad rem non dissentit ab hac explicatione, quamvis utramq; in exponendis illis versiculi septimi verbis significationem jungat, scribens: q. d. Ea lege & conditione pactum tecum, & cum tuis, o Abram, in eo, ut scilicet sis tuus tuorumq; Deus; nimirum ut à vobis solus adorer & colar, atq; à me solo pendeatis; ego vicissim vos quasi peculium meum amem, curem, protegam & benedicam. Ita Vatablus, & alii. Quum ergo tertia illa Jacobæ phrasios, erit mihi Dominus in Deum, significatio de cultu peculiari & ceremoniali, sit ἀγαθόν, & purum putum cerebri humani figmentum, nec altera de cultu generali & morali, hoc quidem in loco, suis careat difficultatibus, vel ab illis, qui priorem amplectuntur, in hoc Jacobi voto admittatur, aut toleretur; quid impedit, quò minus dicamus, phrasin illam non ad obligationem votentis referendam esse, uti quidem Vulgatus Interpres, & qui eum sequuntur, referunt, sed potius ad voti conditionem? Sic enim omnia erunt plana, omnia clara, & perspicua. Enim verò conditio voti, cui se mancipat vir sanctissimus, quæque versiculis continetur 20. & 21. quinque constat membris, quorum 1. est, Si (vel quum) fuerit Dominus mecum. 2. Et servaverit me in via ista, qua ego profecturus sum. 3. Deditq; mihi panem ad comedendum, & vestimentum ad induendum. 4. Reversusq; fuero prosperè ad domum patris mei. 5. Et fuerit mihi Dominus in Deum h. e. si omnibus modis mihi favorit, & cura, providentia auxilioq; suo adfuerit, quemadmodum Abrahamo, avo meo, ejusque natis ac postnatis gratiosissimè promisit. Ad illum enim locum Genes. XVII. 8. ubi eadem planè occurrit phrasis, quæ verò, ut ostensum est,

est,

est, gratiam & favorem Dei singularem denotat, Jacobus in hoc suo voto videtur omnino respexisse. Et huic voti conditioni votum ipsum subjungit, seu obligationem vers. ult. eamque bimembrem: 1. *Hic lapis, quem disposui in statuam, erit domus Dei.* 2. *Et quicquid dederis mihi, sequi decimas omnino sum daturus tibi,* id est, & lapis, & locus, in quo lapis est, à me habebitur sanctus, tibi que consecratus, ad hoc, ut te ibi per sacrificia tanquam in altari colam: & de redditibus meis, quos tua benedictio mihi indulgebis, decimam partem erogabo ad faciendum sacrificia, & alendum ministros sacros, eorumque discipulos, ac pauperes. Eodem sensu votum Jacobi explicatur à Rabbi Salomone Jarchi, quem Hebræorum Magistri *κατ' ἰσοχρὴν* & honoris causa appellant *Interpretem Legis*. Neque etiam huic ad-versantur Chaldæus Onkelos, & LXX. Interpretes, qui sacri fontis literam præse hic & *אֵל מִדְּבַר* sequuntur. Ita docet, pro ea qua pollet *ἀνεπίβοτα*, venerabilis atque celeberrimus *Saubertius* noster in Explicatione Selectiorum Locorum Scripturæ Veteris Testamenti. Confer etiam *Tremellii* & *Junii* Versionem, atq; Annot. in h. l. Cæterum si vel maximè probari posset, aut à nobis etiam concederetur tantisper, Jacobum verbis hisce: *erit mihi Dominus in Deum*, sese obligasse ad cultum, tamen, quum religionem suam non mutarit, quemadmodum Jansenius & Cornelius à Lapide rectè fatentur, non video, qua ratione colligi possit, eum apostatis hujus vitæ commoda respicientibus ivisse præ, eosque illum imitari. Patet itaque jam satis superque, falsissimam esse minorem argumenti propositionem, & tantum abesse, ut Jacobus voto suo apostasiæ exemplum dederit, ut potius omnibus veris Dei cultoribus præluxerit, & hanc dederit doctrinam, quod videlicet tales permanere, & quo majoribus à Deo beneficiis afficiuntur, eo constantius atq; alacrius Deum timere, adorare, colere,

eig; gratias agere debeant; tum & divitibus copiosisque hominibus, in quem usum præcipue conferendæ sint opes, nimirum ad conservationem ecclesiæ cultuumque divinorum, sive ut verâ Dei notiâ in terris propagetur, & ecclesiæ, scholæ, & pauperes alantur. Vid. *Lutheri, Gerb. & Calov. Comment. in h. L.*

Alterum, quod nobis obijciunt, petunt ex Josuæ Cap. ult. Vers. 15. ubi magnus ille & piissimus Israëlitarum imperator, in postremis regni sui, quæ in agro Sichemitarum celebravit, comitiis, primoribus ac populo optionem dat, ex tribus religionibus eligendi unam; nimirum vel Chaldaicam, cui Abramus, nondum à Deo illuminatus, cum parente, fratre ac majoribus suis deditus fuerat, vel Cananæam, quam gentes extirpandæ observabant, vel illam, quæ Abrahamo revelata, & per Mosen illustrius fuerat tradita, atque, ut in hac electione commodum suum probè attendant, graviter monet, inquit: *Quod si malum videtur in oculis vestris (עַל עֵינֵינוּ) colere Jehovam, eligite vobis hodiè, quem colatis; sive deos, quos coluerunt majores nostri, qui habitabant trans flumen illud (scilicet Euphratem, in Vr, seu Orchœe, ut à Ptolemæo appellatur, urbe Chaldæorum, unde in Mesopotamiæ urbem Haran, seu Carras migraverunt, Gen. XI.) sive deos Emoraorum, in quorum terra habitatis.* Inde jam sic contra nos argumentantur: Quicquid, intuitu temporalis commodi, liberum Israëlitis relinquitur à Josua, viro prudente ac pio, Deoque valde charo, id per se non est malum, nec ullo modo violat conscientiamque. Sed optio, seu mutatio religionum, intuitu temporalis commodi, libera Israëlitis relinquitur à Josua, viro prudente, ac pio, Deoque valde charo. Ergo. Sed facilis est responsio. Josua Israëlitis triplicem quidem proponit religionem, ut eligant, quam velint, ne dicant postea, se ad religionem Mosaiçam coactos fuisse; sed non dicit,



dicit, liberum esse *coram Deo*, sequi, quam vellent è duabus illis gentiliùm, quin potius hoc intendit, veram religionem semel receptam, semper retinendam esse. Israëlita enim tum temporis Mosaicam, eamq; veram religionem observabant, sed ita, ut pariter colerent deos alienos. Ab hac igitur impietate eos ut abducat, beneficia à primo initio vocationis Abrahæ, Isaaci, Jacobi &c. usq; ad terræ patribus promissæ occupationem & distributionem, ipsis exhibita enumerat, atque inde hortatur, ut pie ac religiose Dominum Deum suum colant, & legi ipsius reverenter obtemperent: ac omnem inobedientiam, in primis verò idololatricam, quippe quæ cum veri Dei cultu consistere non possit, toto pectore fugiant. Sic enim, recensitis beneficiis illis, infert vers. 14. *Quare nunc timete Jehovam, & colite eum intègre & fideliter: & amovete deos, quos coluerunt majores vestri in regione trans flumen illud, & in Ægypto, & colite Jehovam.* Atq; in sequente versiculo, postquam eorum arbitrio dicam? an arbitrii abusui, commiserat, num fortè ad idololatricam Chaldæorum vel Cananæorum religionem applicare se vellent, suo suorumque exemplo ad veram eos provocare, seu potius in vera conservare studet, inquit: *Ego verò & familia mea colimus Jehovam.* Et quum sententiam suam dixissent, paratos videlicet se esse ad continuandam religionem veram, vers. 19. eosdem sic affatur: *non potestis colere Jehovam,* nempe deos alienos retinendo, & eorum cultum cultui Dei commiscendo: quod colligitur ex vers. 23. Prædicat quoque, Deum ipsis, si perstiterint in religione vera, benefacturum cumulatissimè, è contra verò gravissimè puniturum apostasiam & obedientiam; hæc enim verba immediatè subjungit: *Quia Deus sanctissimus est, non feret defectionem vestram, & peccata vestra. Quum deseritis Jehovam, & coletis deos alienigenarum, tum conversus malus afficiet vos, & consumet vos, postquam benefecerit vobis.* Ille ita-

que prudentia, pietate, Deique gratia illustrissimus Dux, optionem religionum, tanquam rem indifferentem, & decem-peda boni præsentis mensurandam, Israëlitis minimè concessit, quin potius eos ab apostasia, aut mixtura religionum, quam potuit maximè; avocare, & vinculo veræ religionis, quam hætenus non planè, nec unicè sequebantur, arctius constringere voluit. Atque eodem modo præsentem locum exposuit eruditissimus *Andr. Masius*, cujus verba, quamvis pluscula, exscribere non pigrabimur. *Quæ coarctati recipimus*, inquit ille, *ea nullâ verecundiâ frangimus: quibus verò nos ultrò obligavimus ipsi, quæque deliberato animo promissimus, ea sitemerè violemus, impudentissimi simus. Ergò ut gentis animos ad sædam religionem proclivissimos arctiore nexu in probam alligaret prudentissimus imperator, principio ostendit, quamnam fuisset majorum religio, cum in Mesopotamia illi habitarent, eamq; fuisse positam in cultu alienigenarum deorum dixit: deinde addidit, quibus auspiciis illa cum cultu Jehovæ h. e. veri Dei fuisset commutata. His itaq; religionibus duabus propositis, jam illos quodammodo solvit utraq; & velut manu emittit, optionemque dat, non solum ut harum duarum, utram velint, suscipiant, sed tertiam etiam insuper addit, eam nempe, quam tenent ea gentes, inter quas nunc versantur: à qua profectò vel maxime opus erat ut abalienarentur. Quamvis autem optionem istam illis velit liberrimam, ne olim causari possint, ullis se suasionibus esse deceptos, atq; idcirco nullo verbo adhuc aliorum deorum sacra cultusq; culpaverit, tamen veritus, ut videtur, ne laxatis habenis gens fidei fluxa prono cursu ad Chananæorum deos, se proriperet, adjungit, quid ipse cum sua familia sit factururus: Quare nullam quidem ipsis imponit necessitatem alterutrius optionis, sed profectò mirifica, ut mihi videtur, mentes omnium arte atq; efficacitate ad veram religionem vocat. Cur enim non statuunt, ejus imperatoris religionem sibi esse imitandam, cujus prudentiam summam in rebus omnibus, atq; insuper sanctitatem felicitatemq; incredibilem adhuc essent experti? Non obstant*

stant igitur objectiones allatae, quo minus iterum aperte atq; intrepide pronunciemus, Ab orthodoxa ad heterodoxam religionem, commodi temporalis causa, illaesa conscientia transire christianorum posse neminem.

## ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

### I.

**Q**ui sibi persuadent, licere externis ceremoniis simulare religionem heterodoxam, & dissimulare orthodoxam, eo quod Naaman Syrus, bona cum venia Elisæi prophetae, idem fecerit, 2. Reg. V. 18. 19. illi egregiè falluntur, nec mentem neophyti satis rectè intelligunt: si ve enim is de præterito loquatur (uti exponit Joh. Saubertus, ο μακαριστός, in Germanico libello, quem inscribit *Christlich Preservativ*, D. Dannh. in *Colleg. Decal. p. 248. 397. Lightfoot in Lucæ c. IV. 27.* & qui Lutheri cathedram hodiernam ornat, D. Quenstedt *Disput. in hunc nostrum locum, de Petitione Naamanis Syri, §. 21.*) si ve de futuro (ceu placet Hackspanio *Annot. in b. l. Dilh. Propheten: Schul p. 176.* & Theologorum nostrorum Nestori optimè merito, D. Sebast. Schmidio *Disp. in b. l.*) neutiquam tamen exinde impia illa atq; absurda sententia stabiliri potest.

### II.

Quamvis nihil certi de auctore ministeriali & secundario libri Josuæ, utrum nempe Josua ipse eum scripserit, vel alius, & quis, nobis constet; per id tamen auctoritati & divinitati libri nihil quidquam detrabitur, quum & ipse prorsus gaudeat requisitis scripti canonici Veteris Testamenti. Jac. Raupp. in *Prolegom. in librum Jos.*

## III.

Cyprianum, qui genere illustris, patria Carthaginensis, dignitate ante conversionem Senator & Rhetor, post conversionem verò Presbyter, & dehinc Episcopus Carthaginensis fuit, prænomen à Cæcilio presbytero, qui ei fidem christianam persvasit, sortitus, & anno à Seruatoris natiuitate, si Joh. Gottfr. Oleario in Abaco Patrolog. p. 123. credimus, CCLIX., si Centuriatoribus Magdeburgensibus Cent. III. p. 249, CCLIX. si Baronio in Annalibus, CCLXI. d. 14. Sept. martyrio coronatus, ineunte atate daupéran *Je-  
suum*, seu magum & veneficum fuisse, Gregorius quidem Nazianzenus Orat. in laudem Cypriani, & Prudentius *de* *epo.* hymn. V. (quos etiam secutus est Waldschmid. in Pytho. Endor. p. 371. & qui ibidem citantur) memoriæ prodiderunt; sed obseruatum est ab aliis viris eruditis, eos nominum similitudine deceptos, Carthaginensem Cyprianum cum Antiocheno, qui sanè ante conversionem magus fuit, deinde verò Episcopus Antiochenus, siue, ut alii volunt, Nicomediensis factus, itidem martyrium subiit, confudisse. Vid. Magdeburgenses Cent. III. Cap. X. p. 242. Baronius ad ann. Christi 250. n. 5. Billius in Not. ad prædictam Nazianzeni orationem, Gerh. in Patrolog. p. 163. Dannh. Christeid. Ad. 1. p. 378. Olear. in Abaco Patrolog. p. 124. & quem Deus piæ eruditioni quàm diutissimè seruet, Spizelius in Addit. ad Literatum Feliciss. p. 173. nec non in libro peculiari, cui titulum fecit Gebrochene Macht der Sinsternus / p. 455.

## IV.

Veritas alicujus religionis non est estimanda ex opinione, seu professione eam sectantium, sed quod illi, qui religioni isti sunt addicti, putant, dicuntue, eam esse veram; sed ex requisitis religionis veræ: Est autem vera religio verus de Deo sensus, & verus Deicultus. D. Joh. Olear. in Continuat. Isagog. Carpzo. v. in Libb. Symbol. Eccles. Luther. p. 1741.

☞: (0): ☞

2 1034. 22

1034.32





